



Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

34. De Lebuino siue Leuino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

124 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APÓSTOLIS
ti accurrerunt, ac ibi iuxta monasterium sibi tuguriola
çdificarunt, quæ cum muris & fossis monasterio inclusis
set Wilibaldus Episcopus, appellavit id oppidi ab excisis
quercubus Aichstadium, quasi oppidum ad eradicatas
quercus conditum; & inde corruptè processit Eijsta-
dium & corruptius Eeistretense.

D I S S E R T A T I O X X X I V .

De Lebuino siue Leuino.

Similiter Lebuinus, qui à Gregorio tertio Ultraice-
tinorum Antistite ad Transalanos Euangelizatum
est directus, cum S. Willibrordo portum Wilta-
burgensem subiit anno 690. Ita multi ex eodē Mar-
cellino.

Sed non ego credulus illis.

Longè aliud loquuntur acta Lebuini siue Laiwini/ di-
uersimodè enim scribitur) apud Surium ex Hucaldo,
apud Miræū ex Othelgrimo per Christophorum Brouue-
rum Societatis I E S V edito. Verba Othelgrimi sunt: Tem-
poribus Gregorij 3. Ultraiectensis Episcopi venit & alius homosactus
Laiwinius Domino vocante adductus. Etenim referebat trina om-
nipotentis Dei admonitione terribiliter se exire iussum ut illo in lo-
co & illis gentibus miseroris nostri Euangelium prædicaret, petiȝt-
que à Gregorio demonstrari sibi locum diuinitus commendatum. Ga-
matus ille de Diuinaclementia, direxit eum in confinium Francorum
& Saxonum iuxta flumen Isala ad locum qui dicitur Dauentre,
dans ei comitem & cooperatorem verbi Dei Serum Domini Mar-
cellum & ipsum ex Anglorum genere à S. Willibrodo à pueritia e-

mutris

nistrum. Ibi cum Ecclesiam construeret, plurimos conuertisse ad Dominum, sanctam animam reddens Domino locum illum suo honorificauit corpore.

Vides hic nullam mentionem fieri Frisiorum, Willibrordi, Swiberti aliorumque sodalium, nullam mentionē Egberti Asceticæ in Hibernia, exitus ex eâ, quæ tamen characteres sunt conuenarum Sodalium S. Willibrordi. Similiter loquitur Hucbaldus post multa acta Lebuini prolixè descripta: *Exiens de terra & cognatione sua (Lebuinus) post habitâ Insulâ Anglorum evectione nauali Traiectum petijt Castrum Wiltenburgum antiquitus dictum, modo verò trajectum, ubi reperiens quendam Venerabilem Virum nomine Gregorium ex nobili Francorum sanguine procreatum à B. Bonifacio Archiepiscopo olim à pueritia nutritum, exposuit ei omnem suū peregrinationis sibiq; commissæ predicationis textum. Adhibuit quoq; illi Abbas Gregorius solum predicationis inter Francos & Saxones quendam Venerabiliem virum ex discipulis S. Presulis Willibrordi nomine Marcellinum.* Vides hic etiam nullum indicium exhiberi aduentus in Frisiā cum S. VVillibrordo, ac proinde Lebuinum non esse numerandum inter conuenas S. VVillibrordi: cur enim qui adeo accuratè cursum vitæ Lebuini depingit, quiq; S. Lebuino contemporaneus, si Posseuino credimus, certe eius tempori propinquus aut proximus fuit, tam nobilem Apostolatus gloriam suppressisset in tanta præser-tim dicendi opportunitate, ne dicam necessitate? Cur in historia sua Hucbaldus 60. & vltra annorum (tot enim effluxerunt ab aduentu S. VVillibrordi in Frisiā usque ad aduentum Lebuini, quibus non potuit multa præclaræ non egisse Lebuinus) cur, inquam, tot annorum hiatum in sua Historia reliquisset Hucbaldus qui longè minutio-
ra consecutatur? Non fuit talis Hucbaldus: longè aliud pre-

Q3.

sc

126 DE PSIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS
se fert. Imo exhibitis Lebuini pueritia, studijs, Clericatu, Presbyterio, statim subiungit eius profecionem ad Gregorium, dans cognoscere accepisse Presbyteratum sub tempora Gregorij Episcopi circa annum 750. non autem sub tempora S. VVillibrordi ad Frisiā nauigantis: venisse ad Gregoriū vigente ætate & florida, qualē nō potuit habuisse, sic cum VVillibrordo ad Frisiā antè nauigasset. Claruit verò Hucbaldus an. 925. sub Balderico 15. Ultra. Præfule.

Idem Hucbaldus describens breuiter curriculum vitæ S. VVillibrordi eiusque profecionem in Frisiā, neminiū signum dat comitatus aut cōmunicationis Lebuini cum illo: Imo neccum Bonifacio eius successore, cuius acta etiam breuiter percurrit. Tota verò historiæ facies VVillibrordo in Frisiā pergente nondum natum fuisse Lebuinum ostendit, tantū abest ut cum illo in Frisiā profectum profiteatur.

Denique secundum eundem Hucbaldum Lebuinus semper in Anglia est versatus, ex Anglia immediate hic applicuit: de exilio in Hibernia, de Egberro, de missiōe ab ipso, ne hilum apparet: socij autem S. VVillibrordi omnes ante Frisicum iter in Hibernia agebant, sub Egberti disciplina poliebantur, ab ipso sunt emissi.

Erit forsitan qui sentiet Lebuinum bis venisse in Frisiā: primò cum S. VVillibrordo. 2. sub Gregorio tertio Præfule. Verum hoc plane excludunt verba Othelgrimi. Cur enim non dixisset reuersum fuisse ad opus Apostolicum quod intermisserat? Cur omnem prædicationē sub VVillibrordo ignorasset aut silentio compressisset? Dignior res est, quam ut prætereatur. Multo magis talem sententiam aut conciliationem respuit Hucbaldus, ut mox est visum. Accedit Ratio. Nam si Lebuinus ille συνεπχούμενος S. VVillibrordo fuerit, erat anno 690. ad minimum 30.
aut

aut circiter annorū vtpote Presbyter, vir strenuus & cōfē-
quēter Gregorio Episcopo, qui coepit regere circa an. 750.
& plenē successit anno 755. erat facile nonagenarius. At
quis credet hominem annis grauiissimum, senili corpore,
ex Britannia per duras, periculosas, & longinquas nauig-
ationes in Frisiā aduolasse, inter Barbaros, vbi sudoris
molestiæ & periculi omnia erant plena, sub inassueto so-
lo labore coepisse. Talis quidem ætas insolita non est,
verum in tali ætate proficiisci ad adeo ardua & negotiosa
opera, prorsus est insolitum. Christus ipse non tam senes
Apostolos emisit, sed longè iuniores.

A nobis aperte stat Leydensis lib. 4. Chronicī Belgici
cap. 8. aiens; *Circa hæc etiam tempora*, Gregorij nimirum, cla-
ruit in Anglia quidam nobilis Adolescens de prosapia nobili ibidem
oriundus Lebuinus nomine: Floruit, inquit, tempore Gregorij
Adolescens Lebuinus; non ergo iuit in societate S. Wil-
libordi anno 690, quia tum circa tempora Gregorij habu-
isset ad minus 80. annorum ætatem, senex, non adolescēs.
Imo sequitur proficidente S. Willibrordo natum nondum
fuisse, quia fuisse ad minus 60. annorum Gregorio Pon-
tificatum inchoante, non Adolescens.

Mallem ego statuere duos Lebuinos: unum S. Willibror-
di comitē: alterum sub Gregorio aduenientē, quemadmo-
dum tanquam de distinctis loquuntur Ioannes Becanus,
Heda & Leidensis cap. 8. lib. 4. & cap. 40. lib. 2.

Nota apud Leidensem cap. 8. lib. 4. à Gregorio Episco-
po mitti ad partes Isalanas cum' quodam B. Willibrordo
quendam Lyfwinum, alium à dicto Lebuino, qui Lyf-
winus obiijset in Oldenseel. An sit error in re, an in no-
minibus, aut in vtrisque, mihi non liquet & alijs relin-
quo.

Nota 2. Verba illa Hucbaldi: *Lebuinus nauali euccione*

an

128 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS
ans Traiectū petiūt, ubi reperiens quendā Venerabilem virum nomine
Gregorium &c. Presbyterum, sed tunc pro tempore Episcopalis offi-
cij in eodem castro (Wiltenburch) veletiam Parochia Vicarium
&c. Vbi intellige S. Bonifacium stante contentionē Ec-
clesiæ Traiectensis cum Coloniensi & quod ipse s̄epe lon-
gè abesse cogeretur, substituisse sibi Vicarium Traiecti
Gregorium cum subdelegata potestate suæ legatio-
nis ad defensionē Ecclesiæ; ac simul Eobani Episcopi aux-
iliarium. Quem Gregorium postea dum in Frisiā vlti-
mō pergeret secum assumens Eobanum, in eius locum
substituit Ecclesiæ Traiectensis fixum Antistitem, adeoque
S. Bonifacium v̄lque ad vltimum vitæ administrationem
Episcopatus Ultraiectini retinuisse, eidemque immortuum
anno 755. vide dissertationes 150. & 151.

Nota 30. teste Guilielmo Heda Baldericus 15. Ultraiec-
tensis Episcopus diuina reuelatione corpus S. Lebuini inue-
nit & de terra leuatū altiore & honorificē iore loco condi-
dit. Bernulpus 20. eiusdem Ecclesiæ Episcopus apud Da-
uentriam instaurauit templum D. Lebuini, vbi & partem
Canonicorum ex Ecclesia B. Mariae Traiectensis, (quæ
S. Salvatoris nunc dicitur) transmisit, assignans ex bonis
dictæ Ecclesiæ, quæ admodum opulenta erat, quibus per-
petuò illic Deo militarent.

DISSERTATIO XXXV.

De Marcellino.

Nominatus Marcellinus D. Lebuino in partē Apos-
tolici operis ad Isalanos donatus à Gregorio Episco-
po etiā in Willibrordiana naui anno 690. in Frisiā
arua aduolauit. Quis dubita bit? ipse Marcellinus
fibi